

G E R M A N I A H O D I E R N A.

societatis, cum jure evocandi vicinas urbes. Habet autem junctas sibi civitates Vandalicas quinque, Hamburgum, Rostochium, Wismariam, Stralsundam, & Luneburgum, ac præterea Pomeranicas, Stetinum, Anclemium, Golnavam, Gripwaldam, Colbergam, Stargardam, & Stolpam.

COLONIA AGRIPPINENSIS, quæ anno Christi M CCCC LXXXI Anseaticarum urbium numero juncta fuit; primaria est secundæ regionis civitas, habetque sibi sociatas civitates Clivenses & Marckenses, Vesaliam, Duisburgum, Embricum, Warburgum, Vnnam, Hammam. Tum Westphalicas, Monasterium, Osnaburgum, Tremoniam, Sufatum, Herfordiam, Paderbornam, Lemgoviam, Bilefeldiam, Lippiam, Coesfeldiam. Tum Geldricas, Noviomagum, Zutphaniam, Rurmundam, Arnhemium, Venloam, Elburgum, Hadervicum. Et Transsylvanias, Daventriam, Campos, Zwollam. Ac denique Frificas Septentrionales, Groningam, Bolfwerdiam, Staveram.

BRUNSVIGA primaria tertia regionis Anseaticæ civitas habet sub se urbes Saxonicas, Magdeburgum, Goslariam, Embecam, Gottingam, Hildeshemium, Hannoveram, Vlsam, Buxtehdam, Stadam, Bremam, Hammelam, Mindam.

DANTISCVM primaria Boruffiæ civitas habet sub se Regiomontum, Colmariam, Toruniam, Elbingam, Brunsbergam; Livonicas quoque urbes, Rigam, Dorpatum, & Revaliam, quæ Germanica utuntur dialecto, cæteris Slavonicam sonantibus.

Est & in Norwegia BERGA juris Anseatici. Sunt & quatuordecim controversi juris, Stendelia, Soldwedelia, Berlinum, Brandeburgum, Francofurtum ad Oderam, Vratislavia, Cracovia, Halla, Asterslebia, Quendelburgum, Halberstadium, Helmstadium, Ryla, Northemium, & in agro Leodiensi Dinantium, ob ferri & chalybis proventum. Harum omnium fœdere inter se junctarum dici non potest quanta sit potentia. Multa illarum præclare gesta refert Crantzius. Hoc constat, illarum ope gravia bella olim fuisse composita, discordias vicinorum regum Principumque sopitas, pacem restitutam, quod magnum crederetur momentum ipsorum potentia allatura si se alterutri parti adjunxissent: merito ut societas ista Teutonica sequestra pacis, publicæque per Germaniam tranquillitatis procuratrix multis jam sæculis habita sit. Earundem ope ad Belgas, Anglos, Gallos, Hispanos, Italos merces deferuntur necessariæ, triticum, filigo, lana, cera, corium, canabis, linum, pix solida & liquida, chalybs, ferrum, pisces aridi, fassamenta, trabes quernæ & abiegna, mali, & quicquid præterea terræ Septentrionales ad usum humani generis benigne suppeditant. Utque commodior esset mercium

istarum per reliquum orbem distributio, impetrarunt diversis in locis jus institorium, exstructis illic ad commercia agitanda ingentibus aulis, & obtentis variis privilegiis. Quatuor autem fuere istiusmodi primaria emporia, *Novogrodt* in Russia, *Londinum* in Britannia, *Brugæ* in Belgica, & *Bergæ* in Norwegia. Hisce in urbibus liberum permissumque erat omnibus in Anseaticis urbibus natis, morari, mercaturam exercere, & privilegiis frui Teutonice societatis, juxta leges in eam rem à reliquis urbibus ipsarumque legatis de publica sententia constitutas. Habent autem leges illæ capita ad honestam juventutis educationem pertinentia. Iuvenes enim in illis collegiis domo procul educabantur, qui simul atque ad conjugium animum appulissent, cogebantur in patriam aut alio discedere, ac per proxenetam juvenem vel famulum res suas administrare. Collegio præerat in singulis urbibus præfectus senior, quem alii Consulem, ipsi Aldermannum vocabant. Is cum assessoribus constituebat Senatum Mercatorum, habebatque adjunctum sibi Secretarium, Quæstorem, Archimagirum, aliosque necessariorum munerum administratores, qui cum Lubecensi Senatu communicabat res plerasque, ac controversias dijudicabat, nec dabatur ab ipsorum sententia nisi ad alias civitates Anseaticas appellatio.

LONDINVM societati Anseaticæ ab Henrico III Anglorum rege tributum est anno Christi M CCL. Et quia confœderatorum summam fidem certaue auxilia posteris reges dubiis temporibus experti sunt, præsertim in bello quod Eduardus III adversus Gallos gessit, fanciverunt, negotiatores Teutonicos illius collegii nullis novis vectigalibus, tributis, exactioibus, subsidiis, aliisque præstationibus in posterum onerandos, sed immunitates ipsis olim concessas indultasque integras atque inviolatas perpetuo relinquendas esse. Estque decretum illud peculiari quoque diplomate confirmatum, & à Richardo II, Henrico IV, Quinto, Sextoque religiose observatum. Donec ardente inter Anglos & Danos bello, quum in freto Danico Anglorum naves interceptæ essent, naves vicissim Teutonice LX ab Anglis captæ ac spoliatæ sunt: quæ res initium bello triennali Anglis cum civitatibus Anseaticis præbuit. Neque ante potuerunt offensi animi pacari, quam interventu Caroli Burgundi, qui Eduardi sororem uxorem duxerat, Teutonice nationis spiritus lenitus esset Trajecti ad Mosam, anno M CCCC LXXIV. Ab eo tempore per annos circiter xxx sub Richardo III, Henrico VII, & VIII, atque Eduardo VI, Germani immunitates suas in Anglia retinuerunt, licet Gedanenses nonnihil eas conturbarent. Domus ipsorum dicta fuit *Staelhof*, à chalybe, qui *stael* Germanis vocatur, eo quod ingentem chalybis vim eo defer-